



Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè
continentur

Zerola, Tommaso

Coloniae Agrippinae, 1680

Professio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10421

Ad decimum, respondetur quod sic; Nav. *con. 7. de iudice deleg.* non hoc faciat ex commissione superioris, imò etiam laicus, *cap. mulier, 23. dist.*

PRÆROGATIVA SEU GRADUATIO.

PRimò, prærogativa, seu graduatio factis est in consideratione apud Romanam Curiam, circa collationem beneficiorum ibi vacantium, quæ licet ante Conc. Trid. erat infrequentiori usu, propter expectativas, & mandata de providendo, tamen hodie etiam sibi locum vendicat, circa concurrentiam ad vacantias beneficiorum in Urbe, ut hac in praxi de ea aliqua habeatur notitia, licet remissivè. Dico, quòd de prærogativa, vel graduatione, tam graduum literatum, sive scientiarum, artium, & facultatum, familiaritatum, & nobilitatum, & quomodo practicetur, videndus est Staph. *de liter. grat. a fol. 11. usque ad folium 158.* & Gom. *de eodem tract.* quia faciliùs Papa concedit beneficia Doctoribus, *cap. cum in cunctis, §. inferiora, de elect.* Caputaq. *dec. 177. 1. par.*

Secundò, prærogativæ honoris quot sint, vide Gemin. *in cap. 1. ver. quæro quæ, de offic. leg. 6. ubi ex Host.* enumerat undecim. Prima, prælationis: secunda, dignitatis: tertia, temporis: quarta, antiquitatis: quinta, consecrationis: sexta, manus excellentis impositionis: septima, majoris ordinis: octava, recognitionis feudi, ubi laicus tenetur clerico, & è contrà: nona, magisterii, sive

instructionis: decima, honestatis, sive sanctitatis: undecima, honoris, ut Legati & Cardinales: ista deserviunt pro & quando in jure, vel in Bullis fit mentio de honore prælationis pro practica.

PROFESSIO.

PRimò, quando in Regularibus obliget professio, & num omnis professio? Respondetur præpositis, quæ dicta sunt superiùs *in vers. Moniales, §. 2.* quòd professio sollemnis obligat Regularem ad omnia onera Religionis, cujus professionem emisit, patet juribus vulgatis, & Sylvest. *in ver. Religio, 3. per totum.* Secundò, quòd obligat ad observantiam, *cap. 19. sess. 25. sac. Conc. Trid. de reform. Regul.* imò quòd quinquennium illud, de quo ibi, non possit prorogari, & obligat etiam eos, qui exierunt ante confirmationem Concilii à Religionibus, ita sac. Congr. *declar. 410. §. non dentur.* Sed hoc quinquennium non currit legitimè impedito, quin possit etiam, eo elapso, reclamare. Navar. *loc. cit. vers. 2. & 3.* Tertiò, quòd professio tacita etiam obligat ad observantiam illius *cap. ita in facto responsum fuit ab ead. sac. Congr. in quadam causa, dum essem Romæ, de mense Maii, 1589.* Navar. *in c. nullum. nu. 77. 18. q. 2. & in c. statuimus. notab. 20. nu. 75. ver. 2. & col. 35. de reg. & si exeunt, & deponunt habitum, sunt apostatæ, & subjacent censuris.* Nav. *de reg. com. c. 27. nu. 18. ver. 26.* Quartò, quòd regulares, qui sunt ejusdem ordinis, qui requirat professionem,

Aaa 3

si faci-

si tacitam professionem emiserint, licet palam, & expressè id factum non fuerit, tamen cogendi sunt, ut profiteantur expressè, ita ead. sac. Cong. declar. 250. Quintò, quando quis dicatur solenniter, seu expressè, vel tacitè professus, vide Covar. c. 2. de test. in princ. glo. in Clem. fin. in ver. deinceps, de Regular. Sylvest. in ver. Religio, 3. per totum, § 19. meliùs & abundantius vide Navar. in d. c. statui-
mus, nu. 73. ubi explicat quot modis quis efficiatur tacitè professus, & qui manserunt in religione per quinquennium, omninò non audiantur, ita sac. Cong. declar. 376. in meis. Sextò, quòd illa tria requisita à sacro Con. Nempe ut infra quinquennium non dimittat habitum, & causas, quas prænderit, ducat coram superiori suo, & Ordinario, sunt essentialia, quorum si unum deficiat, ille subest pœnis illius c. Ratio est, quia ibi datur forma, quæ non potest mutari, nec sufficit illam adimplere per æquipollens, sed debet ad unguem observari. Gom. in c. 1. num. 183. de constit. lib. 9. & tract. de brevi, nu. 28. facit c. 1. de his, quæ vi metusve causa fi. & quando solennitas datur pro forma, etiamsi esset levis, ejus ommissio vitiat actum, Fel. in c. quoniam frequenter, col. 3. & 4. usque ad medium, ut lite non contest. Boer. dec. 1. à nu. 40. usque ad 54. Septimò, nec obstat c. porrectum, & ibi gl. in ver. professio, de Reg. & ibi Abb. col. 2. & Boer. d. dec. nu. 14. quia ibi loquitur quando aliquis emisit professionem, servatâ formâ Religionis, secus verò, quando non servatur forma Conciliaris, vel quia ibi inter-
venerit votum procedens, ratione cujus

ille compulsus fuit regularem vitam accipere. Octavò, professio facta non servatâ formâ, tradita per Regul. Religionis, ligat in foro conscientie, Abb. Boer. tex. & glo. locis cit. faciunt quæ notat Vinc. de Franc. dec. 14. n. 10. vers. quoad primum intellige, modò, sit servata forma Conciliaris, quæ est generalis, Abb. in c. quia in insulis, nu. 4. de Reg. vide Dyn. in c. 1. nu. 52. de reg. juris, li. 6. Nonò, quando professio, qua forma debeat fieri, vide Capyc. d. 115. num. ult. & vidi observari sub hac forma: Ego soror, vel frater N. voveo, profiteor, & promitto Deo, beata Virg. beato N. & omnibus Sanctis, & tibi Reverendiss. D. Episcopo N. castitatem, paupertatem, & obedientiam, in monialibus, ad clausuram, & observare omnia, quæ continentur in d. Regula beati prioris mei N. & in transgressionibus meis circa omnia & singula contenta in dicta Regula poenitentiam mihi impositam humiliter, quantum humana fragilitas permittit, implere, quamvis posset fieri sub aliis verbis, quia non est statuta certa forma verborum, gloss. in Clem. fin. inatio de reg. circa hoc Sylvest. loc. cit. & in ver. professio, § 18. vers. 5. sed nota, quòd non est necesse exprimere sigillatim paupertatem, castitatem & obedientiam, posset nempe dicere, Voveo obedientiam secundum Regulam approbatam, nam sub hoc includuntur cætera essentialia, Innoc. in cap. consultis de Regul. Navar. tractat. de Regul. com. 1. ver. 27. num. 81. ver. vigesimum quartum. aiam formam habes in Speculatore, tit. de Regul. quam refert Navar. in dist. c. statuiamus, num. 29. ver. pro contraria. Decimò, profes-
sio de-

fio debet fieri statim elapso anno proba-
 tionis, c. *Gonsaldus*, 17. qu. 2. & c. *be-*
neficium, de regul. lib. 6. intellige si atige-
 rit aetatem requisitam à sac. Conc. loc.
 cit. c. 15. & dixi in ver. *Moniales*, §. 1. &
 2. Undecimò, potest fieri etiam post
 lapsum unius anni, & plus temporis,
 quia Concilium, loco citato, requirit, ut
 non minus, sed non ut plus, id est, ultra
 annum. Duodecimò, professio tacita in-
 cipit in ultimo instanti anni probatio-
 nis, nisi aliud obstet, Sylvest. loco citato,
 §. 19. ubi fortassis adest habitus distin-
 ctus, nisi præcedat protestatio in con-
 trarium. Abbas in c. *ut clerici*, nu. 3. de re-
 gul. & in capitulo ad nostram, num. 4. &
 5. eodem. Decimotertio, debent loco-
 rum Ordinarii (si commodè fieri po-
 test) animadvertere, ut statim elapso an-
 no, monialis emittat hanc professio-
 nem. Ratio est, quia magis meriti illa
 habebit in actionibus regularibus post
 professionem, quam antè, meritum
 enim magis est, facere aliquid ex vo-
 to, quam sine illo. Divus Anselmus li-
 bro de similitud. Divus Thom. 2. 2. qu.
 38. art. 8. gloss. in *Clementina* 1. de re-
 lig. & venerat. Sanct. & ibi Abb, numero
 10. 11. & 12. & Sylvest. in vers. *votum*,
 primò, §. ultimo, Navar. cap. 12. num. 32.
 notab. 4. Soto 4. Sent. dist. 19. quest. 1. art.
 1. col. ultim. nam vidi nonnullos Ordina-
 rios, permittentes Moniales inveterare
 in Monasteriis, non solum absque con-
 secratione, sed etiam absque professio-
 ne, quod est malum factum. Decimo-
 quarto, professio facta per metum quid
 operetur: vide Abbatem in capitu, 1. nu.
 1. de Regul. Decimo quinto, Religiosus

transmissus de uno Monasterio ad ali-
 ud, non tenetur facere novam professio-
 nem, si jam antè eam fecerat in primo
 Monasterio, quando non sunt diversæ
 Regulæ, quia profitendo unam, omnes
 videntur profiteri, quoad substantiam
 Regulæ, Abb. in cap. *Abbate san. Sylvani*,
de verb. signif. Rebuff. tit. de translat. mo-
nach. nu. 1. & 2. hoc tamen ego tempera-
 rem solum habere locum in illa Regu-
 la, in qua fiunt tantummodo tria vota
 essentialia, sed si transferit ad aliam, ubi
 plura solent emitti vota, tunc opus ef-
 set remitti illa, quæ sunt peculiariora illius
 regulæ, ut in regula divi Francisci de
 Paula, vorum non comedendi carnes,
 nec lacticia: in Cartusianis, vovere Clau-
 suram, nam comedere carnes, & non ex-
 ire clausuram, sunt essentialia istarum
 Regularum. Decimo sexto, an metus, &
 alia, de quib. sac. Con. Trident. loc. cit. ha-
 beant locum etiam post quinquenni-
 um, si durat metus, vel impotentia recla-
 mandi? Respondetur quod sic, per re-
 stitutionem in integrum. Nav. ca. nullam;
 nu. 76. ver. 2. Decimosextimò, à quo die
 incipit quinquennium statutum per sac.
 Con. respondetur, quod in professis ex-
 pressis incipit à die illo, in quo fit dicta
 professio expressa, in professis vero ta-
 citè à die, in quo fit actus qui est pro-
 prius professis, in uno finitur annus
 gestationis habitus, per cujus lapsum
 præteuditur facta professio Navar. in
 d. ca. statumus. nu. 76.

Decimooctavo, an in professione ex-
 pressa requiritur scriptura, gl. in capi, nul-
 lus religiosus, in ver. expresse, & Gemin. &
 Franc. dicunt, quod non est de essen-
 tia

tia professionis, sed ad hoc ut possit probari pro, & contra, & sic etiam testes coram quibus fieri debet professio, *glos. in cap. rursus. in vers. apud Deum, qui Cler. vel monach.*

PRETIUM.

NE quis existimaret, praxim hanc solum forum exterius respicere, ne dum internum, prout multis in locis hujus operis licet videre, pretia quoque rerum non consistere punctualiter, seu indivisibiliter, verum suam habere latitudinem, hic volui admonere, una enim res potest valere nonaginta quinque pro pretio infimo, centum pro medio, & centum & quinque pro rigido: *Aristot. 2. Ethic. cap. 6. D. Tho. 2. 2. qu. 77. art. 1. ad primum argum. in fine: Covar. lib. 2. cap. 3. numer. 1. var. resol. Navar. ca. 23. numer. 79. & sic potest intelligi. in causa. §. idem Pomponius. ff. de minor. §. c. cum causa, de empt. & vend. & quod dixi superius in ver. emptio. §. 2. & hoc pro dicendis nonnullis casibus, vel contractibus qui usurarii apparere possent, quive secus, Reverendissimis praelatis poterit deservire, prout *c. in civitate, de usur. & Navar. ca. 17. numer. 206. Covar. loc. cit. numero 6. & 7.* Et pro evitanda fraude (quantum plurimi) quod satis perniciosum est in conscientis timoratis, nam pretium semel constitutum praefixum, seu electum, amplius variari nequit, *Covar. lib. 2. c. 3. n. 7. var. resol.**

PRAELATUS.

Primò Praelati largo modo dicuntur etiam Rectores Ecclesiarum parochialium, sed stricto modo solum qui habent jurisdictionem fori contentiosi, *Abb. in ca. ne pro dilatione, n. 3. de pœnit. remiss. & in c. de multa, n. 61. de prœbend. praelati communi usu loquendi, solum vocantur Episcopi, & eorum superiores, & praefecti Ecclesiarum Collegiarum Secularium, vel Regularium, Navar. consil. 6. de filiis presby. & appellatione praelatorum veniunt gradus superiorum Religiosorum, ut Priores, Guardiani, magistri, secundum quod diversa sunt nomina talium praelatorum, qui Religiosis praesunt, *Gloss. in cap. nullus religiosus, in ver. praelaturam, de elect. lib. 6.**

Secundò, quando tenetur ad debita, & ad alia onera sui praedecessoris, & ad fructus male perceptos in idem, vide *Boer. dec. 204. num. 48. & infra, vide Abb. in c. 1. de solut.*

Tertiò, an possit excommunicare aliquem à se conventum, qui declinat suam jurisdictionem, dicens non sum de jurisdictione tua, vel non debeo tibi hæc jura, quæ tu à me petis, & super his ostendit instrumenta? Respondetur negativè, sed causa agitabitur coram superiore, scilicet Archiepiscopo, si ille esset suffraganeus, vel coram Summo Pontificue, si esset Archiepiscopus: si verò non ostenderit, & quod petitur à Praelato, est notorium, potest tunc illum excommunicare: *Capyc. decis. 1. & 4. numer. 2. c. dilecto, de senten. excomm. lib. 6.*

vide